

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

XX. Exercitatio patientis Jobi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Suum in Chanantidem revehant, & in agro *Ephronis Hethæi*, non procul urbe *Hebrone*, ubi Abrahamus & Isaacus in spelunca conditi , avito monumento inferant. Quibus dictis, feso in lectulo composuit, & sanctam animam placide exhalavit, anno ætatis quadagesimo septimo supra centesimum. Clausit ei oculos filiorum amantissimus Josephus largas funeri lacrimas cum osculis impendens. Eam pietatem fratres secuti reliqui. Corpus exanime, jussu Proregis, à pollinctoribus vario conditum est aromate. Luctus ad septuagesimum usque diem extractus. Quibus peractis Josephus cum fratribus paternum funus in Chananæam regionem , & desideratum conditorium, magna cum pompa deduxit. Ab eo tempore Iosephus provixit in Principatu quatuor & quinquaginta annos, universim octoginta ; vite centum & decem. Ejus lipsana, uti fratres adjuraverat vivens, annis abhinc amplius trecentis, à Moſe in Chanantidem sunt asportata. Lege hinc admirandam Divinæ Providentiae seriem ; innocentiam Josephi cole, & dabit tentatio profectum, ascensum dejectio, pugna Victoriam, mors ipsa Coronam.

## NAR. XX

EXERCITATIO PA-  
TIENTIS JOBI IN JAC.

TURA BONORUM FORTUNÆ lib.

Job. c. i. Anno. M. 2398. ante  
Christum 1655.

Cer-

**C**ertamen egregium spectavit DEUS, & se dignum, cum Dæmone, miseriisque omnibus Jobum compositum. Illustrior hic, quam ex triumphato Pompeius Orbe, prælio triplici tergeminam confecit palmam. Liberorum inconcusfus audivit funera; spectavit tanquillus bonorum jacturam; in cruciatus omnia obtulit membra; ac demum carcinoma fœtidum, vivum cadaver, & sterquilinio vicithostem. Spectaculum patientiæ, fortitudinis, constantiæ dedit, omnibus sacerulis admirandum. Spectemus igitur virum in theatro versatili, jam opibus, jam inopiâ: modò luctu, modò gaudijs; nunc prosperitate, nunc calamitate, in oculos incurribus.

Jobus gente Idumæus, Esavi prônepos ex patre Zara, Princeps regionis Hus, seu Idumææ, inter malos bonus in medio nationis pravæ, ut virtutibus, sic opibus eminebat. Felicitatis comes fuit invidia, non tam ab hominibus, quam Orco concitata, qui tantam virtutem eversurus, Jobum velut ad singulare certamen à superis depoposcit; urebat Acherontem integritas & sanctimonia viri, cuius fama terrâ cœloque clara. In ejus rei experimentum obtinet à DEO potestatem, quibuscumque posset modis, Jobi vexandi, vis modò vitæ ne inferretur. Alastor in omnes nocendi vias intentus, continuò Sabæos, Huzzæ regioni conterminos, excit, & armat; ut in Jobi ditionem (quæ tanta erat, ut inde regium nomen tueretur) irruptione facta, mille quingenta (cum Divino scriptore numeremus) majoris capita pecoris, boum scilicet & asinorum abigerent, custodibus ferrô peremptis, præter eum,

qui perferret calamitatis nuntium, quem credibile  
est fuisse cacodæmonum quempiam, qui concutien-  
do Jobo, famuli pagani habitu, scissis vestibus, vul-  
tu & manibus cruentis, silens, ægro singultiens an-  
helitu, totus in lamenta compositus, animum excel-  
sum deicere laborabat, damnô tam repentinô, quam  
gravi. Qui frûstra cùm esset aries, mox alter su-  
perveniens, stupens sensu, vocèque torpente (ut  
contingere solet, quibus teturum aliquod prodigi-  
um apparuit) Numen inquit, ô Princeps à salute  
nostra aversum, adversum cœlum; iratus DEUS  
voracem ignem in tuos ovium (erant septem mil-  
lia) greges jaculatus, unâ cum opilionibus, sœvô  
incendiô delevit, ne ullâ quidem victimâ, quâ Deum  
placare possis, relictâ; Me è flammis volitantibus  
incolumen evasisse, quô tibi hæc nuntiarem, nescio,  
quo nomine factum dicam. Sed in scopulum &  
hic immotum incidit. Extrema verba secundi,  
tertius famulus lugubriori nuntiô prosecuturus ex-  
cepit. Hæret enim in vestigio tertia stygis larva,  
pavitansque memorat, Chaldeos equites, gentem  
raptô vivere assuetam, tres in turmas divisos, tria  
camelorum millia in prædam abstraxisse, cæsis fa-  
mulis, extra se unum, tristissimæ stragis testem.  
Adfuit mox quarta plaga, septem filios, tres filias,  
eadem in domo convivantes, vehementi turbine  
concussis à fundamento, quatuor ædium angulis,  
unâ sepultas esse ruinâ. Potuit hoc ab iudeo dejectio  
sperari, si pectus aliud ferijset. Jobus tot cladibus  
acceptis, nec prædones, nec fortunam, nec dæmo-  
nes ipsos, malorum omnium auctores, accusans, sa-  
vis habuit vestium dilaceratione dolorem suum te-  
star;

stari, caputque, pro more lugentium, radere. Deinde coram lucretiosis nuntijs, intentaque ora tenuitibus prostratus in genua, Deoque se flagellanti demississime subiiciens: Nudum, inquit, me nascitum, & venientem in lucem, terra mater protulit; nudum me hinc euntem, & discedentem eadem me iterum in gremium suum recipiet; è tenebris & angustijs materni uteri, imparatus ab omnibus vitae praesidiis, prodii in usuram vitae, spoliatus fortunis omnibus, in sepulchri tenebras concedam, Nihil hic fatum, aut fortuna, aut casus egit: DEUS, quod dedit, abstulit; ipse dominus, ego manceps, quæ commodatò accepi, libens reddo; redenant ad fontem, unde manarunt; maximo est solatio, DEO sic placuisse, cui placere injustum nil potest. Fecerint sanè hostes per summam injuriam, quod factum est; meum est æquò perferre animo, quidquid intulerunt illi; DEO debentur hymni, & gratiarum actiones, pro sua æquitate & providentia, præclarè mecum agenti. Ille, quos amat, flagellat; virtutem probat, dum exercet; Ille spectator, ego sum actor; felicem me, si in hoc theatro viri personam probi rectè sustinuerim. Ita dixit, ita fecit; ringente Satana, & ad quatiendam tanti animi constantiam novas machinas moliente.

## NAR. XXI,

# PROBATIO JOBI IN ÆRUMNIS CORPO- RIS, ET ALIJS CALAMITATIBUS lib. Job.

c. 2. &c. Recuperatio prioris felicitatis.

c. 42. A. M. 2405. ante Ch. 1648.